

ac, teste Hieronymo, confessionis suæ merito ac vitæ industria et eloquentiæ claritate ubique prædicator, ejusque libros eloquentissimos inoffenso pede decurri ac legi posse sine ulla erroris suspitione: qui pariter a clarissimo Ecclesiæ lumine S. Augustino in libro contra Julianum summis laudibus extollitur: cujus demum, fides ac doctrina a ceteris Patribus latinis et græcis magno in honore habetur. SSmus. Dominus Noster Pius Papa IX enixis hisce precibus attentis, ac volens hoc solatium Episcopatui reddere, ac peculiare decus fidei Galliarum Ecclesiæ tribuere hoc potissimum ævo, quo vetus Arianorum error reviviscit, negotium de more Sacrorum Rituum Congregationi librandum commisit. Quæ in ordinariis comitiis apud Vaticanas ædes subscripta die coadunata, referente Emo. Domino Cardinali Ludovico Alteri, visis objectis per R. P. D. Andream Mariam Frattini Sanctæ Fidei Promotorem oppositis in animadversionibus in medium prolatis, iisque omnibus per Defensores solutis, re maturius perpensa et examinata, ea fuit unanimis Emorum. ac Rmorum. Patrum sententia, ut scilicet rescriberetur: " pro gratia confirmationis Tituli Doctoris, et extensionis ejusdem Tituli cum officio et missa ritu duplici ad universam Ecclesiam in honorem S. Hilarii, Episcopi Pictavorum, si SSmo. placuerit. " Die 29 mense martio anno 1851.

Horum omnium et singulorum facta postmodum eidem SSmo. Domino Nostro Pio Papæ IX per me subscriptum Secretarium fidei relatione, Sanctitas Sua Sacræ Congregationis rescriptum in omnibus adprobavit et confirmavit, ac desuper Apostolicas Litteras in forma Brevis expediri jussit. Die 4 mense aprili anno eodem.

A. Card. LAMBRUSCHINI, S. R. C.,
Præfectus.

I. G. FATATI, S. R. C.,
Secretarius.

Loco † Sigilli.